



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XL. De S. Nicolao Tolentino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

funt mirabiliter accensi. Et ex eo tempore non solum in eodem monasterio, sed & in plerisque locis alijs cœpit annuatim eiusdem regis ac militis Christi natalitius dies Missarum celebratione venerari. Hæc de his Beda. Et meritò Missarum celebratione dies ei natalitius celebratur, qui cœlesti declaratione quasi publicè canonizatus est. Excessit è vita 5. Augusti anno 642. Vulgatum est autem & in consuetudinem prouerbij versum quod etiam inter verba orationis, vt & Osyvaldus Episcopus præcedenti capite relatus, vitam finiuerit. nam cum armis & hostibus circumseptus iam iamque videret se perimendum, orauit ad Dominum pro animabus exercitus sui. vnde dicunt Angli in prouerbio: Deus miserere animabus, dixit Osyvaldus cadens in terram. Cuius quanta fides in Deum quæ deuotio mentis fuerit, id post mortem virtutum miraculis claruit. namque in loco vbi pro patria dimicans à Pagana gente Paganoque rege Merciorum interfectus est, vsque hodie sanitates infirmorum & hominũ & pecorum celebrari non desinunt. vnde contigit vt puluerem ipsum vbi corpus eius in terram corruit multi auferentes & in aquam mittentes suis super hoc infirmis multum commodi afferrent. qui videlicet mos adeò increbuit vt paulatim ablata inde terra fossam ad mensuram statuae virilis altam reddiderit.

Bedæ li. 3.
cap. 12.

Idem li. 3.
cap. 9.

C A P. XL.

De S. Nicolao Tolentino.

DE hoc viro sancto Ordinis Eremitarum sub regula sancti Augustini militantium alumno, ita eiusdem Ordinis nuper Religiosus & Exprovincialis Antuerpiæ

l. 3. vite 34.
August.
cap. 67.

tuerpiæ Prior, Cornelius Lancilottus. Beatus Nicolaus
 Tolentinas aliquando laborauit tam grauer vt pro dere-
 licto à medicis haberetur. at ipse fortiter & patienter mor-
 bum perferens, Deo eiusque Matri ac S. P. Augustino se
 commendauit. quo facto suauis somno fuit correptus: &
 ecce dormienti Virgo Deipara, sanctusque Pater Augusti-
 nus sese intuendos amœnis vultibus obtulerunt. In hanc
 autem cum admiratione conuertens oculos Vir sanctus;
 Quæ nam, ait, es Domina quæ ad me puluerem & vmbra
 tanto circumdata splendore venis? Respondit hæc: Salua-
 toris tui mater & virgo quam tu sæpenumerò cum B. Au-
 gustino quem iuxta me vides, inuocasti, atque ideò nunc
 adsumus vt tibi remedium valetudinis humile aliquod
 suggeramus. extensoque versus plateam indice, Mitte, dixit,
 ad talem mulierem & ab ea panem recens coctum roga,
 quem in aquam intinctum sumas ad recuperandam pristi-
 nam sanitatem. Itaque B. Nicolaus excitatum corporis sui
 administrum quem de hac visione celauit, ad eandem fe-
 minam misit, vt pro Dei amore ab ea panem rogaret. qui
 cum fecisset, panem aqua conspersum ægrotanti dedit.
 Vir autem sanctus facto signo Crucis eum surripit, & ilicò
 conualuit. inde Romani Pontificis assensu panem ex mo-
 re sacramus quem cum aqua & inuocatione S. Nicolai ca-
 pientes, à febribus præcipuè, puerperij doloribus, morbis
 contagiosis (nota lector) alijsque id genus malis liberan-
 tur. Testes sunt huiusce rei cum aliæ ciuitates plurimæ, tū
 etiam nostra Antuerpia, qua in vrbe non pauci mortales
 leuamen ægritudinis per hunc sacrum panem sunt experti.
 ita ille. Vidi ego Louanij in templo Augustinianorū Ere-
 mitarum sacram eius effigiem plurimū contra pestem re-
 ligiosa deuotione honorari, ac multis appensis anathema-
 tis exornatam conspexi, non dubium quin in gratiarum a-
 ctionem pro hoc malo sublato aut in humilem supplica-
 tionem

tionem

tionem pro eodem auferendo. atque in libello ab Augustiniano edito & superius c. 12 à me citato, memini me specialem orationem ad S. Nicolaum Tolentinum directam, aliquando vidisse. Fuit verò antiquissimus in Ecclesia ritus panes benedicendi, de quo est antiquus canon Pij Papæ constituens vt de panibus à presbytero benedictis & in frustra sectis post Missarum solennia qui communicare non fuerint parati, Eulogias (id est, benedictiones) omni die Dominico & in diebus festis accipiant. fuitque à Melchiae Papa institutum vt eiusmodi panes ab Episcopo, singulorum Titulorum presbyteri acciperent in symbolum communicationis, qui eosdem sub se cõstitutis fidelibus distribuerent certis diebus. qui quidem diuersis nominibus reperiuntur nominati, putà, fermentũ, ad distinctionem azymi panis ex quo Eucharistia confici solet. item Eulogia seu Benedictio, quòd ab Episcopis benedici ac signari solerent, deniq; Sacramentũ ob sacræ rei signũ, nempe Catholice vnionis, sicut & Augustinus æquè nominat Sacramentum panem benedictum catechumenis impertiri solitum. Ac nominatim de infirmis per vsum huiusmodi panum benedictorum curatis legimus in vita S. Bernardi quòd apud oppidum Sarlatum cum post completum sermonẽ pluri mi ad benedicendum panes, sicut vbiq; fiebat, ei oblatis essent, eos ille in nomine Dei signo Crucis benedicens: In hoc, inquit, scietis vera esse quæ à nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sanitatem, cumque Gaufredus Episcopus Carnotensis qui aderat addidisset: Si bonâ fide sumpserint sanabuntur; confestim Bernardus de Domini virtute nihil hæsitans, Non ego hoc dixerim, ait, sed verè qui gustauerint sanabuntur, vt proinde veros nos & veraces Dei nuntios esse cognoscant. Tam verò ingens languentium multitudo gustato eo pane conualuit vt reper totam prouinciam di-

lib. 2. de
pec. merit.
& rem. ca.
26.

uulgata, vir sanctus per vicina loca regrediens ob concursus intolerabiles declinauerit & timuerit eò ire. Obijt verò S. Nicolaus Tolentinas anno 1306. die 10. Septemb. postquam sex mēsis continuis suauissimum Angelorū concentum quotidie percepisset, ridens & lætundus astantibus dicens: Dominus meus Iesus Christus suæ beatissimæ Mariæ & benedicto Patri Augustino inhærens meque ad beatitudinis immensum gaudium inuitans, ait: Euge serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. Relatus est inter Sanctos per Eugenium Papam IV. anno 1446.

C A P V T X L I.

De S. Alberto Carmelita.

1. ad Ti-
moth. c. 4.

Quamuis, teste Apostolo, omnis creatura Dei bona sit, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: multæ tamen sanctificantur per verbum Dei & orationem Ecclesiæ. nam quantum potestatis vsurpauit sibi dæmon in cibos ante Christum, vt per eos noceret hominibus, docet S. August. l. 18. de Ciuit. Dei c. 17 & 18. & S. Gregorius l. 1. Dialog. 4. narrat dæmonem inualisse monialem quòd lactucam sumpisset non præmissâ benedictione. vnde Chrysoft. contra hæc diaboli veneficia præscribens remedium, signum crucis & benedictionem; Medicamentum, inquit, in promptu est; signum crucis illi (cibo aut rei quâ vtî vis) imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscedet. Hinc à SS. Patribus & Eremitis olim, æquè vt ab Ecclesia etiamnum fit, benedicebantur aquæ, panes, mel, lac, vinum, aliæque stas diebus, vt diaboli vis ac potestas ex ijs expelleretur, & per has consecrationes fieret mentis & corporis sanitas ijs qui illis vterentur. Sic in die Paschatis multis in locis consecrant mel, lac, carnes, oua, panes, per-
nas.